

ex Succino eliciendum) in pulverem redactam, quam Retortæ inditam variis Caloris exposuit gradibus: obtinuit primò phlegma aquæ purissimæ instar pellucidum, dein Spiritum Cerevisiæ instar fuscum, huic succedebat oleum colore magis fusco, ultimo habuit, per ignem fortissimum, Balsamum spissum, nigrum. Ex quibus oleum quidem & Balsamum cum illis, quæ ex Succino prodeunt, odore teaus convenire fassus est, sed nullum omninò sale acidum volatilem, uti ex Succino, elicere potuit, nec Spiritus hic Ambrae gryseæ ullum motum cum alcalicis dedit, quemadmodum ille ex Succino tali sale acido abundat. Illud autem acidum volatile, singulare Succini *Criterion* reputat. Residuum quoque ex Succini distillatione, durum est, nigrum & Gagatis instar, ex hujus vero distillatione, cimolia remansit pulvis, nigredine solummodò tinctus. Cum nullam igitur Aciditatem, nullam volatilitatem per totam operationem deprehendere potuerit, an Ambra gryseæ sit Excrementum animale necne, in dubio relinquit: sed notat omne suavolentum, omne gratum lenissimo igne perire.

D. *Godofredus*, primò duas Ambrae gryseæ uncias duplici Arenæ albæ purissimæ ponderi mistas ex Retorta distillavit; secundò alias duas uncias similiter distillavit, habuitque in utraque operatione oleum limpidum, & residuum bituminosum: oleum per se rectificatum dedit phlegma saporis gratè subacidi, quasi aceti dilutioris, & deinde sequutum est oleum limpidum, balsamicum, bituminosum, petroleo simile: tertio distillavit semiunciam Ambrae gryseæ per se, eademque per ignem satis moderatum obtinuit; postquam ad summam ficcitatem Ambram gryseam distillaverat,